

haberi Astronomia, seu recta justaque coordinatio ac dispositio Corporum Mundanorum?

Primò quod attinet Peripateticos, illi quidem communiter ex Aristote-
lis præscriptis probabilitatem inferre solent, ut quoque liceat eis à Dictis ejus argumentari; non-peripatetico autem, nefas sit proferre sensu per-
cepta; unde non adeo opus habeant solicitari de eo quod sana ratio & ex-
perientia dictitat, sed adhærent creduntque autoritati. Verùm, quia dif-
ferentia est inter credere & scire (*Credere enim est ob autoritatem dicentis alicui assentiri: Scire autem est rem per causam cognoscere*) itaque facile concludendum, quod Systema illud, quod per causam cognoscitur, verum, & alteri, cui ob autoritatem dicentis assen-
sus præbetur, sit præferendum; *Quid enim me jubes credere, si possum scire?* inquit Augustinus. Atqui Coperni-
canum Systema per causas potest cognosci, non verò Tychonicum (uti passim probavimus, ac etiam sequetur) Ergò Copernicanum Systema est ve-
rum & alteri præferendum.

Secundò, quoad reverentiam Sacrae Scripturæ; Meritò illa salva & il-
læsa servanda est, proindeque nihil scribemus quod in Sacras Literas injuri-
um sit: Quod autem quidam aliquem locum ad suum propositum inter-
pretari & exinde Copernicanum Systema reprehendere atque Tycho-
nicum defendere velint, de hoc quæritur: An debita Scripturæ reveren-
tia, ultra Scripturæ propositum, nem-

E Scriptura quidem via ad salutem, non verò ad Mathematica, di- scenda.

pe viam ad Salutem æternam docen-
di, ad Philosophica, Mathematica,
Astronomica, &c. & quidem ad magis-
trales quæstiones (inter quas pri-
mas tenet illa de locatione Solis &
Telluris in hoc Mundo) extendenda,
& per illam simul præcipuae contro-
versiae quæ in his disciplinis occur-
runt, dirimendæ & resolvendæ sint? Vel, an non potius Scriptura, seposi-
tis ejusmodi controversiis (quæ fal-
tem inter doctos non verò populum agitari solent, quas nec vulgus discer-
nere potest) populariter ad vulgi cap-
tum communenique opinionem, &
loquendi usum, ea, de Solis ortu oc-

casuque seu itione, ac Terræ immo-
bilitate, locuta sit? Sicut jussit 1. Reg.
cap. 7. v. 23. facere Lacum fusum, rotun-
dum circumquaque, cuius mensura 10 cu-
bitorum erat à labri parte unâ ad alte-
ram, & filum 30 cubitorum cingebat eum
circumquaque, &c. Ubi secundum vul-
gares opifices, proportio diametri
ad peripheriam statuitur ut 10 ad 30;
cum tamen apud Mathematicos sit ut
7 ad 22; consequenter, si hoc æneum
mare fuerit rotundum circumquaque,
peripheria ejus haberet $31\frac{1}{7}$ Cubitos.
Unde concludendum, quod Spiritus
Sanctus, sicut contentus fuit, popula-
ri more proportionem diametri ad
circumferentiam referre ut 1 ad 3,
quod tamen reverâ non est: sic quoque
in aliis ejusmodi rebus, quæ ad scien-
tias Philosophicas & Artes pertinent,
se attemperet vulgari modo, opinio-
ni & captui hominum. Nam si falsas
omnes opiniones corrigere, atque ho-
mines unâ cum verbo Dei, etiam Phi-
losophica & artes docere voluisset,
tot libros capere non potuissent;
Mundum itaque tradidit disputationi eorum, Ecclesiastes cap. 3. vers. 10. In-
terea nec hodie aliter dici potest,
quàm Sol oritur, Sol occidit, Sol pa-
titur Eclipsin &c. Aliás si propriè quis
hæc pronunciare velleret, longam ver-
borum requireret circumscriptionem.

Consideratis itaque simul iis quæ de hac materiâ lib. 1. cap. 8. scripta sunt, non possumus concedere Ty-
chonicam istam structuram rationi consentaneam.

1. Quidem contra rationem sa-
numque sensum est, quod, non solum
sic dicta Sphæra tot innumerabilium Stellarum Fixarum, sed etiam totum Systema Mundanum, $\text{\texttt{h}}, \text{\texttt{y}}, \text{\texttt{o}}, \text{\texttt{Q}}, \text{\texttt{x}}, \text{\texttt{O}}$ (*de quo videatur Iconism. IIII. lib. 1. cap. 9.* cujusque ineffabilem quasi va-
stitatem P. Ricciolus ipse fatis super-
que confitetur, dum, *uti videre est su-
pra lib. 1. cap. 24. & 25. hujus tracta-
tus, Solem, centrum systematis hujus Tychonici, 38000 vicibus, Saturnum
891, & Jovem 685 vicibus majorem* Terrâ: distantiam verò centri hujus Planetarii Systematis, *Solis scil. à Ter-
ra 7000, Jovis 47552, Saturni 90000
Semidiām. Terræ statuit) circa parvu-
lum*

Tychonicum
Systema ejus-
rationi con-
trarium.